



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii
Dei**

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio V. Respondetur ad argumentæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

Enchirid. c. 36. *Quidnam natura humana in homine Christo meruit, ut in unitate persona vnici filij singulariter esset assumpta? Respondeo, hoc testimonium abesse longius ab scopo huius sententiæ: partim, quia Augustinus agit de operibus tempore prioribus vnione hypostatica. ait enim: Quæ bona voluntas, cuius boni propositi studium, quæ bona opera præcessere, quibus mereretur iste homo, ut vna fieret persona cum Deo? Numquid antea fuit homo; & hoc ei singulare beneficium præstitum est, ut singulariter promeretur Deum? Nempe ex quo homo esse cepit, nõ aliud cepit esse, quàm Dei filius. Partim, quia loquitur de operibus solius arbitrij sine gratia: ait enim eadem gratia humanitatem vnitam Verbo, qua nos iustificamur: sed nos iustificamur per dispositiones libera factas ex gratia supernaturali; nec ea opera gratia excludit: ergo Augustinus non excludit merita ex gratia, sed solius arbitrij. Confirmatur. ait ibidem Augustinus Mariam electam ad maternitatem per gratiam: sed in sententiâ communioni Maria congruè meruit illud munus: ergo eam esse matrem omnino gratis non excludit opera ex gratia.*

§. 6. Quartum ex tom. 7. libr. 1. de Prædestinat. Sancto. c. 15. *Eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum est, ut nullum haberet ille peccatum.* Respondeo, scopum Augustini esse prædestinationem, bona opera, fidem, & remissionem peccatorum esse ex gratia Dei, & non ex solis naturæ viribus: ob quod gloria ipsa, quæ redditur ut corona, est gratia; quia redditur pro illis operibus, quæ gratia contulit homini: ut ex ipso Augustino probaui disp. 13. §. 183. At non excluduntur opera ex gratia per Christum.

SECTIO III.

Clarum Augustini testimonium.

§. 7. **E**Am tamen sententiam non obscure doctorem cap. 15. *Est etiam (inquit) præclarissimum lumen prædestinationis & gratia ipse Saluator, ipse mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparauit quod eius bonum qualecumque præcessit? quid egit antea, quid credidit, quid petiuit? &c.* Vbi Augustinus distinguit merita operum à meritis fidei: illa sunt bona opera solius liberi arbitrij; hæc autem opera ex gratia Dei, ut dixit Paulus 4. Rom. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Quam distinctionem cõstituit initio illius capitis. Cum ergo ait Augustinus nec meritis operum, nec fidei Christum meruisse vnionem, excludit omne meritum. Et quamuis finis huius capitis est ostendere nos sine operibus arbitrij solius, & ex sola gratia iustificari contra Pelagianos; tamen ad hoc probandum argumentatur à Christo, cui data est vnio ad Deum sine vllis meritis arbitrij aut gratiæ, ut inde probet contra Pelagianos, Deum sine vitio acceptionis personarum distribuere sua dona, cui, & ut vult, quin alij possint iuste cum illo expostulare, quod cum illis non idem faciat. quo argumento frequenter viebantur Pelagiani.

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

SECTIO IV.

Probata conclusio: Epiphanius explicatus.

§. 8. **R**atio huius conclusionis est voluntas Dei, innixa rei naturæ: humanitas enim Christi considerari potest ut existens prius tempore, quàm vniretur Verbo: sic est fide sanctum eam non meruisse vnionem contra Photinum & alios: qui tamen & veram vnionem negabatur, contenti affectiua. vel consideratur prior natura, quàm vnatur; sic ex natura rei mereri non potuit prius quàm vniretur: Deus autem voluit eam legem seruari, ut ostenderet præclarissimum exemplum potentia suæ sine vllis meritis conferentis tantum donum humanitati. quæ autem sit hæc ratio, latè disquiram disp. 26.

§. 9. S. Epiphanius occasionem dedisse ad asserendum meritum congruum in humanitate vnioni præcessisse, indicat P. Vasquez disp. 38. n. 9. Vbi ait posse fortasse ab aliquo dici, in anima Christi fuisse priorem vnione non modò potentiam intellectuam, sed etiam actionem aliquam supernaturalem distinctam ab actu charitatis. Id absolute non affirmat, cum potius disp. 21. n. 52. docuerit nullum opus ex auxilio gratiæ præcessisse in anima Christi: sed id ait affirmari posse in gratiam Epiphanij hæresi 77. id insinuantis, dum probat animam assumptam à Verbo mediâ mente, quod græcè vtitur voce *energia*, quæ significat operationem, sine efficientiam. Verum Epiphanius nullam ansam huic præbet asserto: nusquam enim dixit prius animam existisse cum mente, quàm fuerit assumpta: neque enim hic sensus de naturæ prioritate erat necessarius Epiphanio impugnanti hæreticos asserentes animam assumptam sine mente. Hos latè confutat Epiphanius, ostendens mentem humanam fuisse Christo, qua percepit dolores, & orauit, & alia opera exercuit, quæ sine mente non possunt. qui paulò ante finem hæc ait: *Ego verò mentem nostram non substantiam puto, nec quisquam Ecclesie filius, sed actionem quamdam ex Deo nobis datam, & in nobis existentem.* & mox: *At verò iuxta eandem rationem erat in ipso mens, id est in Christo.* Postea verò ait, *Et dolendum est non consistere omnia perfecte in Christo excepto peccato.* Et prolequitur omnia quæ fuerunt in Christo, nec mentionem faciens illius prioritatis. Quod si actus supernaturalis præcessisset, ille esset meritum congruum vnionis, maxime cum ipse P. Vasquez dicat meritum de facto futurum in Christo, si illud ex natura rei posset habere.

SECTIO V.

Respondetur ad argumenta.

§. 10. **O**bjcis Primò psal. 44. v. 8. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Quam vnctionem de vnione hypostatica explicat August. to. 7. lib. 2. de Peccat. meritis & remiss. c. 17. & multi alij Patres, quos referunt & sequuntur nostri Suarez disp. 18. sect. 1. conclus. 1. Vasquez disp. 41. cap.

§. Thom.
q. 2. art. 11.

cap. 3. atque Lorinus in hunc locum. Vnde conficitur argumentum; Christus accepit vnionem hypostaticam propter amorem iustitiæ, & odium iniquitatis; ergo eam est meritis. Respondetur tamen propter sumi pro finali causa, non pro meritoria; ab his qui vnionem sumunt pro vnione. est enim hic sensus: Propterea data est tibi vnio ad Verbum, vt diligeres iustitiam, & oderis iniquitatem. Et quidem hic fuit finis Incarnationis, docere homines odium iniquitatis, & amorem iustitiæ. Ego enim sum *via, veritas, & vita*, Ioan. 14. 6. Quem sentum probat P. Vasquez disp. 21. num. 63. ex August. Nazianz. & alijs: ex Cyrillo item & alijs confirmat Lorinus: estque valde familiare Scripturæ: 2. Esdræ 6. 6. *Quod tu & Iudæi cogitatis rebellare, & propterea adifices murum: id est propter finem rebellionis.* 1. Machab. 12. 45. *Veni mecum Ptolemaidam, & tradam eam tibi: propterea enim veni.* Ioan. 1. 31. *Sed vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans.* & c. 12. v. 27. *Salusifica me ex hora hac, sed propterea veni in horam hanc.* Alij Patres vnionem dicunt esse manifestationem dignitatis Christi, quam ipse meruit. Sed prior interpretatio est communior, & similior vero. Cautè lege Genebrardum, qui vnionem videtur insinuare esse ex merito amoris iustitiæ; sed vnionem non debet sumere pro vnione, sed pro gaudio & felicitate Christi, quam indicat cecidisse sub eius meritum, quod intelligi oportet non de essentiali gloria, sed de exaltatione Christi præ cæteris.

§. 11. Secundum argumentum ex Apocal. 5. 12. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere honorem & diuinitatem.* Sed ibi tantum dicitur agnus dignus honore & diuinitate, non quidem per merita, sed ex

diuinitate ipsa, vt cap. præced. Deus dicitur dignus accipere honorem, voce *dignus* fusiùs accepta. Quod si velis cum P. Vasquez & alijs apud ipsum supra n. 68. significari meritum mortis Christi; respondeo, diuinitatem & honorem sumi non pro diuinitate in se, sed vt manifestata, & honore habita, vt de vnctione dixi §. præced. ex multis Patribus. Hic locum ita passim exponi docet P. Lorinus in psal. 44. n. 8. Hunc ferè in modum P. Lessius de Prædest. Christi scilicet 2. n. 20. exponit aliud testimonium simile ex cap. 17. Ioan. v. 5. cui Maldonatus accensa face præiuit:

§. 12. Tertium argumentum: Gratia habitualis præcessit vnionem in genere dispositionis in aliqua prioritate naturæ: ergo & bona opera præcessere. Nego antecedens. Aliqui Doctores sese inclinasse videntur in hanc habitualis gratiæ præcessionem, quam in bonis operibus negant. sed sine consequentia: recurrunt enim ad suppositum, quod est prius omni operatione: quia est complementum substantiale; operationes verò accidentarium. Substantialia verò sunt priora accidentarijs: sed gratia habitualis est etiam accidens: ergo est natura posterior vnione hypostatica.

§. 13. Quarto id probant: quia pertinet ad Christi dignitatem habere per meritum vnionem hypostaticam. Respondeo, pertinere etiam ad excellentiam gratiæ vnionem esse absque omnimérito. Dixit enim Augustinus Christum esse præclarissimum exemplum gratiæ: quia vt omnino gratis Christus factus est; ita omnes omnino gratis facti sumus Christiani. Igitur filiationem naturalem, & visionem Dei habet Christus sine vilo omnino merito.

DISPUTATIO XXVI.


Vtrum humanitas Christi potuerit ex natura rei mereri Incarnationem?

SECTIO I. *Conclusio.*

SECTIO II. *Hæc conclusio quæ probetur ab aliquibus.*

SECTIO III. *Aliorum probatio.*

SECTIO IV. *Ratio sententiæ communis.*

§. 1. uestio non est de humanitate priùs tempore existente, quæ viribus solius arbitrij potuit petere à Deo vnionem cum Verbo, & accipere, non merito congruo, nec impetratione; (nunc enim non disputo de merito actuum naturalium ad vnionem, de quo inferius; ago autem in opinione illud negante) sed vt purè conditione sine qua non: vt potuit Deus illam donare alicui familiæ: non quod esse ex illa sit meritum congruum; sed quod est conditio sine qua Deus noluit eam dare. conditiones autem quædam sunt antecedentes natura, vt calor, humiditas, & similia; quædam natura posteriores, vt locus, & tempus. Quia verò in Patribus est eadem difficultas de ijs, ac in Christo; ideo de illis agetur à disp. 28.

§. 2. Potuit item actibus supernaturalibus exercitis in gratia eam impetrare, aut merito congruo, aut vt conditione (de quo non disputo;) sed tantum assero potuisse ex rei natura ea opera præcedere, vt conditionem.

§. 3. Est igitur quæstio de humanitate eo primo instanti reali, quo anima cæpit esse: cum enim primum cæpit, fuit vnita Deo. in quo instanti reali possumus considerare aliqua rationis signa, & prioritates; ita vt in aliquo præcedere intelligatur bonum opus: ob quod datur vnio in signo posteriori; & fundetur hæc causalis, *Ideo Christus accepit vnionem, quia humanitas bene operata est.* Vel è contrà: Vnio fit in primo signo, & actus bonus in posteriori; & non sit locus ei propositioni causalis: quia non ideo vnionem accepit, quia bene operata est; sed è contrà, ideo est bene operata, quia accepit vnionem.

SECTIO